
[Jo]annes II. Nepos

Canevesii Francisci Gratitudo erga Illmum D. D. Joannem in Zamoscie Zamojski magnorum Joannis et Thomae nepotem et filium



GRATITVDO

Ergà

ILLVSTRISSIMVM DOMINVM

D. JOANNEM

IN ZAMOSCIE

ZAMOYSKI,

Comitem in Tarnow,

PRÆFECTVM KAŁVSSIEN: &c. &c.

Magnorum

IOANNIS & THOMÆ,

Cancellariorum & Senatorum Regni prudentiſsimorum

NEPOTEM & FILIVM

Ob Aedem ac Aedes

Regali plane dexterâ Muſis & Profeſſoribus Academicis in ſolo Gentilitio erectas

RECOGNITA

In Perſonâ Almæ Matris Poloniæ

A

Nobili & Ingenuo Adoleſcente FRANCISCO CANEVESIO *Iurisprud. & Eloquentiæ Candidato.*

Vnâ cum ſtudioſâ Iuuentute Pöëſeos Ad Aras & Ferias D. IOANNIS BAPTISTÆ, deſiderium & vota ſua in abſentiâ Illuſtriſsimi Patroni tertium annum ætatis Climactericum agentis, pro feliciſſimo ad Patrios Lares reditu, medullitus Concipientis.

In Publicâ Lectiſſimorum Virorum Panegyri

EXHIBITA

Anno ab Ortu SOLIS JVSTITIÆ M. DC. XL. VIII.

CRACOVIÆ, In Officinâ Staniſlai Bertutowic, Anno Domini 1649.

IN STEMMA ILLVSTRISSIMORVM MECÆNATVM.



Quid ſibi vult clarum SARIORVM *inſigne ſariſſa*
Triplex? quiduè notat, ter geminata Trias?
An tria fulcra refert ſextans? ita: nempe videtur.
Omnis abeſto timor, murus aheneus eſt.
Magnus Auus, Magnus Pater, omine filius idem
Ex Magnis magnum nonne? videre licet.
Ardua Virtutis (fateor) via, gloria cuius
Summus apex, illic pulchra corona ſita eſt.
Hanc Auus, hanc Pater emenſi, inuenêre coronam,
Orbis non poterat; nî caperetue polus.

LVCAS PRVSINOWSKI,
Succam: Bełzeń: Filius.

Ad Illustrissimum Dominum

D. IOANNEM

IN ZAMOSCIE

ZAMOYSKI,

COMITEM IN TARNOW, CAPITANEVM KALVSSIEN: &c.&c.

Dominum & Patronum benignissimum.

MOdicus hic ingenij & eloquij mei partus, Tibi & Fortunatis Amplissimæ Prosapiæ Manibus consecratur, Jllustriss. Domine Literarum, & Literatorum singularis Patrone. Tributarij officij nostri & Vestri beneficij Niceterium, & prolixissimū argumentum est. Famam solam rerum venum non exhibeo: rem dico. Hic ab inclytâ Poloniâ debitum amorem; ab Academiâ officiosum obsequium vnusquisq; legit. Etsi vtrumq; horum alicui præstandum: quomodo non Tuo Honori & Nomini, cuius spe recreatur in dies Polonia, opē & operam præstolantur Nobilissimi & Liberrimi præ reliquis Gentibus eius Ciues, vltrò iure suo deferendum venit? Sanè contra Academiā Tuam Charites agerent, & acriter quererentur: si testimonium aliquod, post diutinum præsentiæ Tuæ desiderium, in tam exoptato ad Lares familiares reditu, non exhiberent. Merentur id Diuorum Maiorum merita, in omnes orbis partes diffusa; erga Deum pietas, amor erga Patriam, in omnibus gestis magnificentia, magnanimitas incredibilis. Meretur insignis iste tuus affectus, quò ad miraculum vsq; in bonas literas, & cultioris Literaturæ viros fereris: adeò vt, futurus sis, & ipse aliquando Magnorum nō contemnendus Mecænatū numerus. Et ego cum bonis omnibus, faueo huic gloriæ Tuæ; quæ alias non nisi maximis ingenijs, & optimè de Repub. mereri volentibus obtingit mentibus. Debetur autem & Generosissimæ Tuæ Indoli, vel ex eo præcipuè, quòd eorundem Maiorum vitam & facta gloriosa, vitæ Tuæ ipsius speculum & imaginem ob oculos proponas. Illi Tibi regulæ & amusses sunt, fortiter in castris, prudenter in rostris, agendi, & aiendi. Illi facem præferunt, cuius luce & Vir, & Ciuis bonus sis, & habearis. Illi tritam aperiunt viam, vt ad Patriam tutandam, meritisq; clarissimis illustrandam, in fatali ad omne hæreditarium decus Domo, natum Te esse recognoscas. Sed enim id, quod steriliter attigi, fusiùs ipsa Nominis Tui mentio nota per plagas omnes orbis cultioris, loquitur. Mens & sermo vnanimis circumfertur exterorum, qui studiosiùs Heroica Sarmatiæ facta pensitant. Genus Vestrum, Virtutum, Laborum, Doctrinæ, Honorum esse sedem compendium, seminarium, domicilium; in quo, id venerari vniuersim liceat, quod Singillatim præstantissimū, aliæ quæuis Nobilissimæ in orbe Sarmatico, Familiæ habent, aut habere satagunt. Scilicet, vt iam innui, Diuina Fata Deus inquam, Opt. Max. fatorum Orbis & hominum Moderator Zamoscianum benignissimo afflauit Fauonio genium & ingenium, ad optima quæq;, & maxima peragenda. Quia Dei propagandæ gloriæ, Patriæ & Ciuium necessitati subleuandæ, sua omnis desudat industria, sua militat fortuna, facultas, vita; vt, verè de illo dici possit, cum exquisito morum Magistro. Nihil vnquam opinionis humanæ causâ, omnia conscientiæ fecisse. *An enim Catholica Romana Religio patrocinium, & augmentum? an Respub. Iuris, & Legum Tribunalitiā tutelam desiderauit? an Pallas docta, cum suis Cultoribus & Alumnis, æmulatricem cum maximis quibusq; Imperatoribus & Regibus non experta munificentiā, in solo* ZAMOSCIORVM *Gentilitio? Ædepol in his Athenis Roxolanis, quòd hodie literæ viuant & spirent, facit id Maiorum, & Tua innata beneficentia, omni æuo memorabilis, quæ multarum ætatum posteritatem post se trahet in admirationē, prædicationem. Eius echo tamdiu resonabit, quàm diu laboriosus Apollinis cætus, imbre beneficentiæ Tuæ, in viridario Triplici gentilitio munimine Regaliter circumducto irrorabitur. Sed in hoc passu pluribus desudare non deterrerer: nisi illud timerem, ne ieiunæ scriptionis tenuitas, qui hæc legit, suboffensum redderet: ne fastidium aliquod Tibi grandia & salubria quæq; de Patria meditanti. ingeneraret: præsertim cum exploratum habeam ad magna natas indoles, nec abiecta quæq; pro sago & togâ cogitare; nec cum eadem ipsa exequi imperterri-*

to occipiunt spiritu, pati, vt verbis mediocribus exeant, in publicum famæ monimentum. Quo in passu, Veritas ipsa nunquam Veriùs caneret, atquè Hymettico melle & ambrosiâ omni dulcior D. Ambrosius lib. 1. de Virginibus effatus est. Nemo est laudabilior quam qui ab omnibus laudari potest. *Neq; aliud ipsa ingenij Tui præcellens Generositas spondet quâ Virtutis bonum æstimare, & rectè iudicare de honestatis studio, vis, potes, soles: Cum pectus masculum omnigenere politioris eruditionis excultum geras: cum ita Tibi in vno ore, cum multis multa prudenter aiere; in vno auditu multos audire liceat: cum non vno cælo, nec vno sole domestico contentus vixeris: sed ad comparandam singularem pro Patriæ bono, prudentiâm, rerumq; agendarum dexteritatem, Vlyssem cautissimum imitatus: tot mores, tot populos, tot leges, tot Regna, modestè & integrè perlustraueris. Nimirùm illud etiam est, quod præter reliqua ignauiæ argumenta plebeias animas arguit & infami notat digito, quòd in angulis ad focum sinumq; matercularum otiosi & delicati hæreant, & consenescant; domo solâ latitent. Illi rursus omnes cælesti ingenio præditi censentur, qui cælum imitati, gaudent motu. Idcirco cum ex tàm longinquâ peregrinatione omni elegantiorum Virtutum & experientiarum supellectili onustus excultusq; ad Lares Patrios remeas. Merito Tibi Illustrissime Domine Literaria Iuuentus sub Tuo Nomine, Tuo in Patrio solo, Tuâ in Academiâ honestis disciplinis, in rem Patriæ animum imbuens, obuiam prodit salutatum. Atq; quod ante paucos menses medullitus apprecata fuerat Die Natali Tuo solenni, cum debitâ gratiarum actione, hoc die hodiernâ, in exoptato ab exteris, nationibus reditu, dicat & consecrat: multamq; faustitatem & Repub. & Academiæ Vouet & gratulatur. Patere vt soles humaniter fructu hoc ingenij & eloquij, modicus licet sit, Tuos recreari oculos & animum. Cum enim non liceret à fortunâ accipere, quod Tuâ dignum esset amplitudine: ab ingenio extorsimus, quale quale vectigal ad gazophilaceum Virtutis Tuæ accessurum. Licitabimur cum Superis & obsidem animum precibus interponemus, omnes Academici Tui: Vt Te Diuis* Auo & Patri *persimilem Deus Opt. Max. longæuum Poloniæ ornandæ, Libertati Equestri amplificandæ, Academiæ defendendæ & augendæ, in perpetuâ cælestis prouidentiæ Tutelâ conseruet, quàm florentissimè. Ita cum bonis omnibus medullitus voueo, & aueo.*

Illustrißimo meo Mecænati

Cliens obsequentißimus

M. IOANNES BAPTISTA CZECHOWIC
Phil. Doctor, in Acad. Zamoscen. Professor.

GRATITVDO RECOGNITA.

SI PRO recenti,& omni æuo memorabili beneficio Illustrissimi Literarum &Literatorum Patroni,in me PoloniamPatriamque suam charissimam, parum luculenter gratias egero; quæso, obtestorque strenui Bellonæ & Mineruæ Alumni,nè meæ potiùs in dicendo tenuitati, quàm beneficiorum magnitudini Amplissimæ Domûs ZAMOSCIORVM, id tribuendum putetis. Si quidem nullum tàm illustre & Diuinum ingenium,nulla tanta Oratorum dicendi vbertas, & copia reperietur; quæ cumulatè & expeditè,tantam Illustrisimæ Domûs in me,Literasque magnificentiam, tantam pro bono communi propensionem, verbo expedire possit: quam non comparare tantùm dicendo, cum vetustissimis, atque munificentissimis Regibus, Ludouico Franciæ pientissimo,Alphonso Aragoniæ magnificentissimo, Vespasiano Romanorum Imperatore liberalissimo; sed etiam illis præferri,iure & merito nisi fatear, impia atque ingrata sim omninò. Magna procertò horum laus, imò perennis,pennis Oratorijs,& omnium Gentium linguis,atque Panegyricis vbique celebratur;qui ex communi bono potiùs, quàm proprio largi & liberales in Patriam suam & Rempub. extiterunt. At meritæ & edecumatæ Domui Zamosciorum, qui non ex communi (vt aiunt) peculio, sed honestâ industriâ,synceroque labore proprio,quæsitis & acquisitis opibus, illisque largè & alacriter in Reipub. salute collocatis, profusione denique sanguinis & vitæ,Patriam ditârunt,defenderunt; quis dignus modus, quæ par ratio, recompensandi reperietur? Vnicum ego inuenio: modo liceat per vos ô charissima Lechiæ meæ pignora, si non maiorem, liceat inquam saltèm parem,gratâ beneficiorum commemoratione refundere gratiam. Hæc etenim ipsa, qualis qualis censetur laudatio; agnitio est immortalis beneficij, quo Patria & Academia, per Academiam verò vniuersi Ciues augentur, ornantur perquàm augustissimè? Scilicet reddit beneficium, qui debere se fatetur, nec amplius iniurius potest dici erga Patronum,qui se præstat beneficij gratum & semper memorem. Hinc non frustra Metellus,gratias Dijs deberi à Romanis aiebat; quòd Scipio cùm talis esset non in Indiâ, sed in Italiâ, non in aliâ,sed in eorum Vrbe, nempe & capite Vrbium vniuersarum orbe exstitisset. Quò quis non intimè gratulabitur Patriæ, ad quam non ornandam tantùm,sed defendendam vetustissima Zamosciorum Domûs cælitùs data, & nata esse videtur. Felicem statum Reipublicæ? fortunatos eius Equites, beatam Libertatem Polonam præsidijs Zamosciorum velut Alpibus circumdu-

cumductam? Vna olim Curionum Familia sufficiebat, ad tutandos Romanorum Lares, ex quâ semper Tres continuatâ serie, & Bellatores fortissimi, & Oratores grauissimi prodierunt, Pater, Filius, Nepos. Vna Fabiorum, in quâ continui Tres Principes Senatus Romani. Vna Illustrissima Domûs ZAMOSCIORVM his omnibus longè antecellit. Nam quot mei Penates viderunt ZAMOSCIOS; tot mirati sunt virtutes: quot spicula, tot miracula: quot noui Acroamatis à VLADISLAO Iagellone è Kozłorogis IELITORVM Stemmata, tot Lechici poli sydera fulgentissima. Sed ego interim vobiscum, vnicum istius vetustissimæ Prosapiæ surculum libens & lubens admirari aueo. Polonæ meæ nobilissimæ Iuuentutis facilè Principem, IOANNEM Præfectum Kałusiensem dignissimum: cuius mascula indoles, eximiæque virtutum scintillæ, in tantùm bonorum & cordatorum animos, & minimè expectationi inuidentium oculos exhilarant, atque etiamnum non immemori linguâ ad æternitatem posteritati, transmittunt, in quantùm beneficij, præsidij, ornamenti, à Maioribus eiusdem accepisse, se didicerunt. Æquum sanè hodiernâ die auspicatissimâ, ad Aram Diui IOANNIS BAPTISTÆ, Præcursoris Christi, quod vt eò alacriùs, quisque peragat, ego æquissimum censeo, vt pro felicissimo rerum Amplissimi Patroni nostri successu, ad Aram & Ferias has sacras Diuo IOANNI BAPTISTÆ, cuius auspicatissimum pro tutelâ Gentilitiâ Nomen Amplissimus Patronus gerit, & in præsens tertium iam ætatis suæ annum climactericum terminat, vtinam nouos, in multas pòst olympiadas saluberrimè, felicissimè, florentissimè protrahat, & bonorum omnium hæreditariorum, tàm à Paternâ, quàm à maternâ Domo honorum, per virtutem & verum proprium laborem manantium satur, tardo fato concludat, omne desiderium nostrum, omnia vota, ad eundem Diuum IOANNEM BAPTISTAM conferamus. Nam licet si interim præsentem eum coràm intueri, tàm dissita locorum interualla non sinunt, tamen beneficium istud recens & augustum, quod in his Musarum sedibus Regaliter erectis, & dotatis intuemur, excitat nos, vt, in coronâ vestrâ frequentissimâ viri Lectissimi, qui huius beneficentiæ viui testes & admiratores estis, & Patrono Illustrissimo, & suis Amplissimis Maioribus, gratias iustas, per quàm officiosissimo cultu, votis prolixissimis persoluamus. Adeste præsentes auribus & animis, qui, adestis corporibus, & fauete chara Poloniæ pignora. Ac vt inprimis illa nimis antiqua prætercam, quæ, vetustissima SARIORVM Familia Poloniæ præstitit, à quâ Nomen suum ZAMOSCII deduxerunt. Parum illi olim fuerat in auerruncandis Patriæ malis publicis, contra Othomanicam barbarorum gentem, contrà Scythicam latrocinantium pernicitatem, lacertos suos opposuisse: quin imò Rege VLADISLAO ŁOKIETKONE Sceptra imperij Sarmatici gloriosè & victoriosè administrante, sub tempus belli Prussici, pro integritate Reipub. pro tutandâ Patriæ libertate, sanguinem & vitam tribus Hastis quasi venalem subiecisse, in illâque deplorandâ potiùs, quàm commemorandâ statione, Martem, & mortem maturasse; eandemque Posteris suis in amore Patriæ, pro Patriâ propinasse:

Ingens

Ingens ſemper Ampliſſimæ Domûs Kozłorogorum ergà Patriam, pro libertate Equeſtri propugnanda,amplificanda; teſſera fuerat, mori poſſe; viuere non poſſe. Diſcant Ciues Nobiliſſimi ad miraculum, effuſum in Patriam amorem ; in quâ ſi qui adhuc domi peregrini ſunt,intelligant,ſanguinem & vitam pro aris, & focis patrijs non dicam impendiſſe, ſed effudiſſe perlibentèr. Sed cuperem ego, vt ſi in recenſendo,memoriâ Mithridatis, Scæuolæ authoritate in agendo, facilitate Ciceronis in ſcribendo, in eloquendo Demoſthenis aut Carneadis quondam apud Athenienſes, cæteraſque Græciæ Vrbes eloquentiſſimorum Oratorum excellerem facundiâ : illi ſoli bellicoſiſſimos Inclyti huius Nominis Bellatores,ſtrenuiſſimos Duces & Imperatores, qui fines Regni ampliârunt, Patriam conſeruârunt, Genus IELITORVM cum ipſo Lecho natum propagârunt,auxerunt, complecti poſſent dictione. Verùm hæc, vt dixi, nimis vetera & longinqua venerabunda ſilebo: Illa tantum haud longè ab annis noſtris, recentiora Numina & Reipub. Lumina, quæ Patriam illuſtrârunt, acri & alacri dexterâ ab incurſionibus hoſtium vindicârunt, honeſtiſſimis literis vitam & ſpiritum donauêrunt præterire, niſi ingrata, nec poſſum, nec debeo. Ac inprimis Magnum Patriæ Patrem, Magnum Cancellarium, Magnum Exercituum Regni Ducem, IOANNEM ZAMOSCIVM, qui ore omnium bonitas, & beneficentia dictus, cuius maxima virtutum prodigia, etiam num Orbi vniuerſo emicant, enarrarem : niſi Suadæ balbutientis tenuitas, immensâ rerum geſtarum magnitudine,ſingulariumque in Rempub.promeritorum ſeriè obrueretur. Ingenuè fatemur. quod in re ipſa eſt, & libere loquimur. Fuit ille Religionis Athlas,Orthodoxæ Fidei Conſeruator,Cuſtos Legum, Hæreſis Hoſtis, Aſſertor Libertatis, fulmen bellorum, terror hoſtium, ſplendor Lechiæ, Regum delicium, culmen Senatûs, Vindex ſcelerum, Iudiciorum æquiſſimus ſemper Arbiter, Muſarum Mecænas, Literatorum corculum, virtutum & laborum Cenſor, Promotor. Pro lege Rege, Grege, murus fuit. Summis olim gaudijs & laudum encomijs Senatus Populuſque Romanus Claudum Quintillum excepit atque celebrauit, quòd fuſo exercitu hoſtium numeroſo, ipſoque Duce Galieno victo & victo, feliciter illum è bello Imperatorem redeuntem, fauſtis acclamationibus ſalutâſſet. *Auguſte (inquiens) Claudi, Dij Te nobis dederunt, Claudi Auguſte Principem, qualis tu es, ſemper optauimus.* Laudaſti & tu Pompeium tuum Marce Tulli,facundo & fæcundo in plauſum ore buccinâſti,quòd plura bella geſſiſſet, quam alij legiſſent, plures ſubiugâſſet prouincias, quam alij adiiſſent. Tantamne in laudib⁹ eius ponis (vt ſapientiſſime Plinius ait) humani generis iniuriam ? Nimirum, non ex animi tui ſententiâ iſtam Te inſtituiſſe commendationem, ſed ex neceſſitate reſpondes ? Quod ſi Tu Heroum fortiſſimum,alterum Agamemnona, Magnum IOANNEM ZAMOSCIVM vidiſſes ? cum Ioanne Baſilide Moſchorum Duce potentiſſimo, eòque domi atque foris, propter arma & fortunam improbitati & crudelitati ſuæ fauentem, formidabili, Martiam rem gerentem. Quid ſi mille ab eo machinas bellicas in Polonos exploſas, ſi vaſta & ingentia au-

 tia au-

tia audiuisses tonitrua? negâsses tantam Pompeio commendationem, omni æuo memorabili, & in omnium recordatione temporum victuro calculum adiecisses Magno IOANNI ZAMOSCIO. Testis est Liuonia Duce illo, difficilibus equidem, sed exitu felicissimis prælijs recuperata, ex faucibus Sudermanorum perduellibus dexterâ, inuicta Polonorum signa, & Sarissas suas sequentium gloriosè erepta, Regio & Regni iuri restituta. Testis Maximilianus Archidux Austriæ, ad Cracouiam & Byczinam Coronæ Polonæ cupidus, & Sceptri Regalis SIGISMVNDI III. æmulus profligatus, spe regnandi delusus, in pacta pacis æternæ conuenta vellet, nollet accedere ad Będźinum redactus. Quid si numerosissimorum Scytharum, Crimensium, Perekopensium, Nahaiensiumque, Chan Kassigereus, alias belli gerendi, minimè ignarus è funesto tumulo suum Plutoni redditum reduceret spiritum. Quid si Daciæ vlterioris tyrannus Michaiło ad Telesinum amnem ita turpiter victus paucâ manu, vt, ne nuntius quidem cladis extiterit, qui domum rediret, in aspectum exiret, caputque illud suum pilosum, oculos emissitios, frontem rugosam, genas liuidas, pectus fraude plenum, dexteram sanguinolentam visui exponeret. Quid si ore barbaro inuidoque etiam loqueretur? Nonne cum omnibus alijs quibuscum manus conseruit. Magnus IOANNES ZAMOYSKI, fortissimum illum agnosceret Imperatorem & militem plenum gloriæ & immortalitatis. Hinc illud processit commune Ciuium tripudium, quòd quotiescunque re, cum hoste laudabiliter confectâ, prodiret in publicum, toties illi cateruatim Senatus populusque Sarmatici Poli, cum faustis acclamationibus iret obuiam, insolitâ gratulatione & gestienti gaudio subsiliens Equestris Ordo, identidem buccinaret. Inclyte ZAMOSCI, Inclyte ZAMOSCI, Deus Opt. Max. Te nobis dedit. ZAMOSCI Bellator optime. Talem qualis es Senatorem, talem Cancellarium, talem Exercituum Ducem semper cupiuimus. O Zamosci prudentissime? fortissime? Tanti eum tanti Respub. æstimabat. Cuius rei viuos vos testes & Iudices appello, qui illi vnanimiter, alij nemini antè solito eoque in Poloniâ Acroamate nomen designastis Patris Patriæ. Tantùm fortitudini & dexteritati eius STEPHANVS BATTHOREVS vtroque tempore Rex præstantissimus tribuebat, qnantùm Philippus suo Parmenioni, Xerxes Zopyro, Darius Megabiso, Roma Catullo, Mario, Lucio, Dentato, cæterisque eximijs Ducibus. Atque hîc ego succenseo mihi, quód ita ieiunè & steriliter procedam in recensendis gestis & laudibus Tanti Herois, quibus nulla sufficiat disertissimorum etiam Ciceronum & Isocratum Suada. Detur lubenter ei gloriosum illud Iulij Cæsaris Symbolon, quòd victoriosissimus STEPHANVS BATTHOREVS & SIGISMVNDVS III. Magni Reges, Exercituum Ducis & belli Dictatoris mei ZAMOSCII, virtute & operâ fideli & felici vsi, contra quoscunque processissent hostes, quascunque adijssent bellorum tàm offensiuorum, quàm defensiuorum iustâ de causâ susceptorum rationes, semper venissent, vidissent, vicissent. Sed ne insolentior & ambitiosior videatur notio, Tibi potiùs Omnipotenti cæli & terræ Monarchæ incomprehensibili, ac iu-

li, ac iure meritiſſimo D E V S glorioſiſſime. Tibi Patrono ſingulari & tutelari Illuſtriſſimæ Domûs Zamoſcianæ, Diuiniſſimis vtriuſque Legis Sacræ Tabulis decantate Ioannes Baptista, tantam felicitatem, tam ſtrenuam dexteritatem, tantas & tam glorioſas victorias ex hoſtibus ferocibus multoties reportatas, adſcribo & concedo reuerenter. Merito tua hodiernâ ſolenni feſtiuitate,& feſtiuâ ſolennitate Deo cumprimis victoriarum omnium Authori, tum Tibi magno Magni Triumphatoris Præcurſori, pro ſalute Illuſtriſſimæ Propaginis, Magni Aui ſuauiſſimi Nepotis, Maiorum ſuorum veſtigia contento ſtudio & ſtadio ſequi aſpirantis, quem Patria ſua chariſſima ex amplexu in exteras ablegauit nationes,iuſtas grates perſoluimus, iuſta vota cum animis optimè, optimæ Indoli eius apprecantium offerimus. In illius longæuâ & florenti vitâ, Reipub. integritas, Equitum ornamentum, Libertatis & Nobilitatis propugnaculum,Literarum augmentum, Martis & Artis Cultorum certiſſimum futurum perfugium,nemo niſi inuidus non videt. Agite Nobiliſſimi Equites, & ad vota, vt dixi,pro vitâ Illuſtriſſimi Præfecti Kałuſs. mentes veſtras componite. Agit certè agit eum generoſior ſanguis, Arma, Literæ delectant. Qui gratus eſſe cupit ergà Benefactores, eum beneficium recognoſcere non pudeat: ſed illud ipſum ad ſempiternam Famæ & iuſtæ laborum virtutumque remuneratricis Themidis iunctæ Palladi, memoriam, promoueat, deprædicet. Neque hæc,quæ audiſtis non maxima fuerant fortitudinis bellicæ, Ciuiliſque prudentiæ, & magnificentiæ monumenta: ſed vlteriùs ire properat oratio. Intueamur vlteriora,Liberalitatis clariora ſymbola: percurramus, euocemus Principis optimi, & Patris Patriæ numeros, regulam mehercule normam & ſpeculum quæ intueantur, æmulentur, perficiant reliqui. Definiamus abſolutiſſimum benè gerendi vtroque tempore, Ciuem & Senatorem optimum. Et ita vt illius officij & eſt, non ſolùm ea, quæ ante pedes (vulgari ſermone) iacent; verum etiam,quæ futura ſunt, præpropere prouidere. Ita contra ille nequaquam meretur optimi & prudentis laudem, qui totus bellicis immerſus tumultibus, totus felleâ Martis bile tumens, totus in ſanguine humano volutari & debacchari cupiens,nunquam de pace cuiquam bono exoptatiſſimâ cogitat,bellum minime bellum aſſiduo meditatur, altos ſpiritus pectore ſpirat. Cuius frons Cmonis miſanthropi, & ad conuictum ciuilem & ad ipſum genus, hominum odio & rabie pluſquam caninâ exarmatur, cuius cor & cruenta dextera ſæuitiæ & crudelitati Neronianæ, cæteriſque naturæ prodigijs par in cædibus latrocinijſque domeſticis æquè & externis exæſtuat, cuius naſus, naſus vulturum eſt, nullibi alibi niſi in demortuorum cadaueribus delicias & pabulum quæritans. Qui nihil commodi habere poteſt cum anguillarum piſcatoribus, niſi turbetur mare patrium. Quocirca non ſolum noſtro imperio militare credimus illos, qui gladijs, clypeis, thoracibus nituntur, ſed qui glorioſæ vocis munimine laborantium ſpem, vitam, & poſteros defendunt, inſontes à noxijs, imbelles à potentioribus protegunt; Vno omnia claudam verbo: Ille vtroque Ciuis optimus habetur,

qui pacis

qui pacis & belli temporibus publico bono, incolumitati Ciuium, integritati Patriæ, sedulò pacem & tranquillitatem ex armis & Literis procurat exoptatissimam. Vidit id, vt acutè semper in omnibus, Diuino planè ingenio præditus Heros, vidit THOMAS ZAMOSCIVS Regni Cancellarius immortali memoriâ dignisimus, vidit inquam & prouidit Pater eius Exercituum Dux, Magnus IOANNES ZAMOSCIVS, vtroque tempore vtrique Magni. Magnus Pater, minimè minor Filius, virtute, eruditione, labore, meritis, honore. Tanti sanè erat Luminaria duo hæc in orbe meo Polono non extingui, vt Respub. & Scholæ ipsæ luctum & squalorem induentes silentio ingemuerint, & ipsam eloquentiam paulisper consistere in stupore ingentium sollicitudinum vltrò sint passæ. Deum immortalem? quæ & quãta illi in vitâ egerunt? magna, ampla, singularia, Diuina omnia. Cõdidit ille Vrbes, Ciuitates, Castella, Templa, propugnacula, ZAMOSCIVM, Szarogrodum, Iwangrodum? Condidit & Filius: Thomassouiam, Iampole, Templa ædificauit? ædificauit & Filius: Pater THEODOSIVM, CAROLVM, IAGELLONEM, cæterosque celeberrimos celeberrimarum Academiarum Fundatores in Roxolanis Athenis imitatus. A fundamentis erexit Academiam, omnium scientiarum locupletisimum emporium, omnium bonorum ærarium? Dotauit liberalis Filius, ampliauit, locupletauit: Magnum ecastor id Illustrisimæ Domûs ZAMOSCIORVM factum, sed iam domesticum factum. Nam vterque dictorum, hostili furtiuâ dexterâ, tot ereptis olim & per se feliciter recuperatis Regio & Regni iuri, tot Prouincijs, tot debellatis subiugatisque hostibus, tot attritis & oppresis perduellionum viribus, hoc vnicè procurabat, vt quam florentisimam præter arma, Literis ingenuis Patriam relinqueret. Quo in passu vlteriùs demonstrando, cum multa consultò prætereo memoratu dignisima: Illud nihilominùs insignis prudentiæ argumentum silere nequaquam possum. Cum videret inter plurimos Polonorum Proceres, nescio quo fato immortales quasi in dies nasci, offensiones, dissensiones, discordias lites exoriri, illisque animos exulceratos diutiùs occupari, quàm anni vitam prorogarent: adeò in his condoluit religiosisimus Heros, æqui iustique amantisimus, vt comperendinationum istarum, forensiumque in cancellis Iudiciarijs controuersiarum nauseam & procrastinationes quibus ad turpem quæstum & lucellum itur STEPHANVS BATTHOREVS Rex suasu, & prudenti illius consilio finem imponeret, Iudiciaque Tribunalitia constitueret. Post tot tantosque exhaustos domi militiæque labores, thesaurum omnium thesaurorum pretiosissimum Ciuibus aperuit, insigne exemplum virtutum, rarissimum sed tutissimum bonarum artium portum, Academiam hanc celeberrimam intelligo, procurauit. Ex quâ multi trabeati Satrapæ, viri armis & literis amplissimi, ad Reipub. munia obeunda, tanquam ex equo Troiano prodierunt. Considerate hîc mecum quæso, quid charitatis? quid beneuolentiæ? quid gratitudinis, munificentissimæ Domui Zamosciorum debeamus? ô spes! ô vota! quid magnificentiùs? quid vtilius? quid gloriosius? ab hac liberalissimâ Prosapie Polonia sperare, imò optare hoc beneficio potuit: cuius si a-

morem

morem erga me ſpecto, fateri cogor maiorem haud vnquam, à primis Poloniæ exordijs quempiam Patriæ præſtitiſſe: vt ſic, beneficentia ZAMOSCIORVM vndequaque cæteris magis abſoluta & perfectior videatur. Paucorum equidem & non iſtius ſæculi Heroûm virtus eſt, nec fortè poſt Diuos IAGELLONES, CASIMIROS, & pijſſimos Magnos CAROLOS facile quærenda, qui velint & ſatagant Reipub. vtilitati, proprio patrimonio vel miſerorum indigentiæ ſeruire: ſed æternitatis certiores poſſeſſores. O bone DEVS! quis iſtam inuſitatam liberalitatem recognoſcit non ingrato animo liberaliſſimam? Mecænatum in me Poloniam voluntatis effuſam ſignificationem, ſiue publicum, ſiue priuatum ſtudium ſpectet. Quod quid aliud eſt? quàm Regalis & inuſitatæ munificentiæ æternum ſpirantis & reuiuiſcentis Mnemoſinon: In hac Ciuitate, hiſce mænibus velut Alpibus cinctam? Italiam & Græciam Academiam habebimus. Florebunt literæ. Hic erunt Athenæ. Florebit omnis eruditio, & ad veterem illam frequentiam exurget nobiliſſima iuuentus. Illices hæ literæ: quæ inſigniter euectæ, & à nouo nunc Athlante Illuſtriſſimo IOANNE ZAMOYSKI Præfecto Kałuſień. digniſſimo ſuſtentantur. Iſti medius fidius parietes nouiter exſtructi iſti lapides, hæc ſaxa, credite mihi loquuntur, teſtantur, memoriam & gratitudinem ſuam longæuæ poſteritati profitentur. Iſtam boni publici curam, hanc gratiam literæ gratæ ſemper referent, nec intercidere eorum famam patientur; Vt quamdiu Muſarum hoc domicilium, ſeminarium Eccleſiæ & Reipub. conſtiterit, tamdiu Inclyta Domûs Zamoſciorum, per quos literæ & Literati viuunt, viuat, floreat, perennet. Nulla naſcetur ætas tàm ſurda, quæ eius non exaudiat commendationem. Nulla tàm remota à ſole natio, quæ profuſæ liberalitatis vberem ſuis Principibus non exhibeat ad imitandum materiem. Ita minimè degener tantarum virtutum ex aſſe Hæres factus Illuſtriſſimus IOANNES ZAMOYSKI ergà Rempub. ergà Literas honeſtiſſimas; vnicuique viam reſerat patentem, cum eandem animi vim & propenſionem, Auitum, paternum, maternumque animum, & quoſdam peculiares à naturâ inſitos ad munificentiam habeat igniculos. Non modo enim Magni AVI, Magni PATRIS piam voluntatem fideliſſimè exequitur, verumetiam præclara & magnifica, partim perficit, partim exſtruit, numerum Profeſſorum, ſtatum Academiæ, rem & cenſum eius auget, promouet, & in dies maiora meditatur. Neque ſermonem vanum nectam, vbi res ipſa loquitur; neque amplius adijciam ſoli lumen, nec fonti aquam. Videte velim an non par genius, non par ingenium eius, cum Maioribus ſuis eluceſcit? AVVS olim Sapientiſſimus nomine STEPHANI BATTHOREI REGIS, ANTONIVM MVRETVM virum de eloquentiâ & omnibus Literis meritiſſimum, numeroſiſſimo & honeſtiſſimo præmio è SAPIENTIÂ Romanâ euocabat; vt vita eiuſdem MVRETI ſcripta conteſtantur. Idem ipſe Auus Fr. DOMINICVM CONVALLIVM NEAPOLITANVM Ord. S. Franciſci Minor. Conuent. S. T. Doctorem in Academiâ per ſe erectâ, Ordinarium Profeſſorem ex Italiâ, ex Germaniâ clariſſimos viros ADRIANVM &

C 2 HER-

HERMANVM Iuriſprudentiæ & Matheſeos laborioſiſſimos explanatores acciuerat. Clariſſimos SIMONIDAS, BVRSIOS, VRSINOS, KISLICIOS, STARNIGELIOS, STEPHANIDAS, TVRSCIOS, SAPELIOS, cæteroſque cultiſſimæ Literaturæ Præſides, Filio erudiendo Præceptores & Directores præfecerat. Parens Profeſſorum & Directorum laboris & vigiliæ non immemor, tàm ſui, quàm in Academiâ ſuâ commorantis Iuuentutis, quoad vixit gratus in debito honore, amore & præmio exſtitit. Quid Nepos AVVM, quid Filius PATREM æmulari & imitari cupidus? Excellentiſſimus pro me IOANNES LEONICENVS Phyſicæ, Medicinæ, Chirurgiæ Doctor, primus paucos ante menſes Anatomiæ & Bothanices Ordinarius Profeſſor, eruditione & induſtriâ magnus, Patauio ad publicam, ad Academicam Zamoſcenſem Cathedram accerſitus, agat velim. Quid memorem Excellentiſſimum æquè ac Doctiſſimum virum, raræ eruditionis ADALBERTVM GRIGLICIVM I. V. Doctorem, Literarum tàm Hebraicarum, quàm Arabicarum, tàm Syriacarum, quàm Græcarum cultorem eximium? Sed non eſt inquiſitio, quæ in aperto ſunt, memorare. Ego breuibus hæc de amore in Patriam ſuam optimi ac incomparabilis Literarum & Literatorum Patroni contendo, quo in dies aſpirat non abſque ſumptu maximo, vt aliquando liberrima Gens Polonorum eruditam fortitudinem, fortem eruditionem politæ antiquitatis prouocare, vel imitari poſſit. Quæ enim olim duo,

Romanos rerum Dominos gentemque togatam.

Armorum ſcilicet diſciplina, & Literarum ſtudium, ſupra cæteras Gentes, ſupra ſydera euexerunt. hæc etiam ipſa pari iure in Polonia primitùs per ZAMOSCIOS, vt domi militiæque ad Romanam gloriam facile proceſſura, fauenti aurâ munificentiſſimorum Patronorum ſperamus & optamus. Materies gloriæ Polonis non deerit, adſit modo voluntas, & Magnatum in Literas munificentia, procerto æmulabimur his, qui ea habent, quæ nos habere cupimus. Præcipue cum areſcat bonorum ingeniorum vigor, ſi pabulo ſuo virorum ſcilicet Principum patrocinio ali, nutriri, vegetari nequeat. Verturium Mamurium temporibus Numæ narrant inter præcipuos artifices floruiſſe, peltæ cælitùs demiſſæ ad Romanæ Reipub. ſalutem, vndecim alias non abſimiles adeò conſtruxiſſe, vt eæ ab illâ, nec à Rege quidem dignoſci poſſent: Vtinam verò in hoc ſæculi præſentis afflicto ſtatu, tales habeamus Verturios, qui non euertant, ſed ad ſe conuertant bona ingenia: qui bonarum Artium & cultioris Literaturæ viros, peltas has miſſas ad propagandam Orthodoxæ Fidei religionem, ad tutandam Patriam alliciant, promoueant. Sed hæc antea optare quidem licuit, nunc ne ſperare quidem. humanarum rerum nunc quis ordo, vis ſcire? hic: Quos DEVS, natura, merita ad officium & ſellas ſapientiæ deſtinat, eos malitia & factio condemnat & detrudit. Hæc infelicitas Literatorum, hæc calamitas Literarum, quod Patronos raros, clientes habent aut nullos. Felicius illud fuerat ſæculum, quo Veſpaſianus (vt Suetonius refert) ingenia & artes fouit: primus è Fiſco Latinis Græciſque Rhetoribus, annua centena pro ſtipen-

ſtipendio conſtituit: vt noſtra moneta fert, mille quingentos philippeos ſiue vngaricos. ANTONIVS ſingulis Philoſophorum mille aureos ſalarij aſſignauit. ALEXANDER ille Magnus Pyrrhoni Philoſopho ſibi obuio, decem millia aureorum obtulit. Xenocrati Platonis familiari, quinquaginta talenta dono miſit. Paucos admodum reperire licet, qui vtroſque foueant, qui manum auxiliatricem porrigant Patriæ amore capti, proprio illi ære non de alieno liberales, ſubſeruiant. Corroboret & diutiſſimè ſeruet Deus Maximus Athænei huius Patronum Illuſtriſſimum KALVSSIEŃ. CAPITANEVM, poſterior quidem tempore eſt, ſed famæ & omnis immortalitatis cupidus, maxima quæuis ſpirat pro Patriæ bono exantlanda: Nihil abiectum, nihil mediocre, nihil humile generoſum eius pectus cogitat, omnia cælo &Faſtorum titulis nobiliſſimis digna. O me felicemPoloniam! hiſce & talibus præſidijs munitam! quæ non modo Ciuibus meis ornamēto, ſed etiam apud Poſteros & exteros laudis,gloriæ,& memoriæ pulcherrimo honeſtamento ſint futura. Quod ſi Lacæna aliquando mulier gaudio intimo geſtiebat, quòd non inutile terræ pondus filium genuiſſet, quis non gratulabitur mihi eximijs & magnæ ſpei virtutibus præditum, habere Filium, ad magna Natum ZAMOSCIVM Illuſtriſſimum PRÆFECTVM KALVSSIEŃ, qui omnem conatum & induſtriam,omnem laborem & voluntatem, periculoſam & longinquam peregrinationem vnicâ boni publici causâ ſuſtinens, quæ ad prudentiam, ad propugnandam, augendam, & ornandam rem communem facit. Quapropter iure merito (liceat mihi Te Illuſtriſſime Literarum & Literatorum Patrone, quamuis abſentem alloqui) die hodiernâ Diuo IOANNI BAPTISTÆ, Patrono Tuo Tutelari conſecratâ, pro tot in me Patriamque tuam Maiorum & Tuorum collatis beneficijs: En Patria Tui amantiſſima, tua Academia grata vota ſuſcipit, pro tuâ incolumi ſalute in memoriam perpetuæ gratitudinis appendit, pro Te DEVM immortalem, octauo Calend. Iulij,intimas preces fundit, ad aras ſupplex deuoluitur: vt reducem quàm citiſſimè videamus. Pro Te Domûs Inclyta Conſanguineorum & Affinium chorus, pro Te Equeſtris ordo, pro Te omnis conditionis homines ſupplices manus in cælum tendunt. Litamus DEO omnes iuſtas gratias, cuius munere & beneficio, tres iam annos climactericos, felix & beatus ſuperâſti. Precamur ſubmiſsâ mente, ne vnquam aduerſam fortunam experiaris. Det Tibi DEVS fortunam Magni AVI in rebus gerendis robur & dexteritatem, in ſuperandis hoſtibus audaciam & magnanimitatem, in aggrediendis fortitudinem animi, in bonis ingenijs promouendis bonitatem & liberalitatem. Det in conſilijs dandis pijſſimi Progenitorijs prudentiam, in iure dicendo & bono Reipub. promouendo æquitatem & iuſtitiam. Det ſeris caneſcentem annis, ſemper florentem Tithonij, inoffenſum Socratis, feliciſſimum Polycratis Samnij, Longæuum Cumeæ Sybillæ vitæ curſum & decurſum, vt plenus honorum & bonorum dierum, lætus cum Repub. cum Academiâ & Literis vigeas, floreas. Ita faciat facilis ad pia piorum vota DEVS, faciat Diua DEI MATER, vna Mater inter Virgines, vna Virgo inter Matres.

D tres.

tres. faciat Magnus Præcurſor & Denuntius IOANNES BAPTISTA. Cui ego Polonia, cui vos omnes, mente, voce, linguis, corde, ore læti & alacres, ſolennem gratiarum actionem die hodiernâ inſtituimus, cum fauſtâ acclamatione; Viuat Lechici Poli ſuauiſſimum pignus, viuat Familiæ ZAMOSCIORVM ocellus, IOANNES CAPITANEVS KALVSSIENSIS,

DIXI.

AFFECTVS MARTIS CVSTODIS POLONIÆ,

Ergà Inclytam ZAMOSCIORVM Familiam.

ARma virum clamant fortem, excubias agit hoſtis
Ad fines Regni: iam iam ſunt bella cienda.
Impius inſtat trux Kozakus, Turca ſuperbus.
Arma Scythes pernix meditatur, telaque tendit
Belligeræ Lechiæ: bellum cum gente Polonâ
Ocyus expetit, & vires audacia promit,
Inde mali labes, Lechicæq; infamia Gentis.
Graſſatur latè per campos beſtia ringens,
Ira furit, rabies ſæuit, facibuſque cruentis
Indicit bellum: quærens prædam ore feroci.
Ceû lupus eſt Scytha, trux quem nocte mapalia fidi
Latratu pepulêre canes, veſtigia retrò
Preſſa refert, nemora alta petens caudamq; remulcet
Hirſutam: vacuoq; dolet diſcedere rictu.
Cædis amor, rabieſque ſitiſque immenſa cruoris
Exſtimulat, tuti hoſtes qui veniunt, abeuntq;.
Quærendum effugium, quo Cyclopum fugiamus
Carnificinas has: vitandus præpropere hoſtis.
Hæc laus eſt fortis Ducis, hæc hæc maxima virtus
Eſt maior, Ciues Patriæ ſeruare fideles.
Sic fecit Magnus Patriæ Pater, alter Achilles,
Dulce decus Regum, Patriæ ſyncerus amator.
Relligionis Athlas, fidei, terrorq; malorum,
Ille ZAMOYSKI *pol cuncto notiſsimus Orbi.*
Quem agnouit Moſchus, Valachus, Scytha, Turca ſuperbus;
Cuî tot pompoſos cum laude dedêre triumphos
Hoſtes: Martiſonæ genti ſub iura ſariſsæ,
Ante pedes Lechiæ claræ ſua terga ferentes.
Eſt ouibus non tàm terrori turba leonum,
Quam SARIO *Duce ſemper erat ſpes hoſtibus exul.*
Buſta Sudermani teſtantur ſanguine ſparſa

Hercu-

Herculeâ dextrâ ZAMOSCÎ *oppleta sepulchra.*
Vrbes, Felinum *populosam nomine dictam,*
Kyrcholmum *inuictam,* Dinemundamq; *prealtam,*
Et Konkenhausum, Derpatum, Valmariamq;
Vendam, Pernauiamq; *simul* Reûlumq; Rigamq;
Omnes Bellator Suecis ZAMOÎSCVS *ademit.*
Nunc opus est socio mihi vel tali Duce forti
Qualis erat SARIVS *iam iam numeratus in astra.*
Talis nunc hodie surgat, qui ex oßibus eius,
Maiorum paßu æquali vestigia scandat,
Æthera syderibus, virtutibus impleat orbem.
Spes votis positura scopum, Mars sorsque fauebit,
Vnde Auus, vnde Pater famâ compleuerit orbem.
Ocyus arma rogo ignipotens Vulcane fabrorum
Adsis cum socijs, & nudus membra Pyracmon,
Brontes, Steropes, vasto cyclopes in antro
Ocyus arma ZAMOYSCO *cudite cudite Lemno*
Antra æthnea tonent validique incudibus ictus
Ingentem referant gemitum strepitentque cauernis
Stricturæ chalybum & fornacibus ignis anhelet
Hic fauor est cæli, hæc laus, & fortuna ZAMOYSKI.

Ioannes à Mirow Myßkowski, Capitaneid. Tyssouien.

MVLCIBER AMPLISSIMÆ DOMVS ZAMOSCIORVM TRIBVTARIVS.

ADsum præsto, quod iubeas, haud iußa morabor,
Et nunc si bellare iubes, atque hæc tibi mens est,
Quidquid in arte meâ possum promittere curæ,
Quod fieri ferro, quod cum socijs queo electro,
Quantum ignes, animæq; valent præstabo ZAMOYSCO.
Pectora sunt potiora illi, est vigor omnis in illis
Ille modo ritus vt complectatur auitos.
Arma Duci socij quam primò parate futuro.
Contra Kozakos crudeles: hostesque rebelles
Præcipitate moras & ferrum sentiat ignem,
Sint enses, clypei. galeæq; aciesque Sarißis,
Ensis detectus faciet, roburq; ZAMOYSKI
Cum hostes finibus è Patriæ discedere coget.
Cudite Cudite loricas galeasque ZAMOYSCO.
Cudite & innumerum *clypeos hastasque parate.*

Dux bone præsto tibi sunt enses, arma, secures.
Quid valeant vires, quid mentis robore possum
Omnia præstiteram tibi, viribus arma ciendo,
Accipe deuotam de grato pectore mentem.

MARS VVLCANO.

Magnas reddo tibi grates Vulcane fidelis
Quod promptus fueras in iussis expediendis
Te Te adiutorem appello sociumq́ laborum.
Nunc abeo varijs in terris persequar hostes,
Tu maneas solus ZAMOSCI *cernere facta,*
Nam properat longinquis oris alma propago.
In quo Patris, Aui. Magnorum bellica virtus
Elucet: bona spes Patriæ, timor omnis abesto.
Ergo tui fidi conserua facta laboris,
Ex armis, illi vt surgat noua gloria seclis.

APOLLO VOTIVVS.
CHARITES AD VOTA INVITAT.

INgratus verò sim, ne dicam impius, Sacra Musarum domicilia, si inter tot auspicatissimos gestientis & gaudio exsilientis Poloniæ applausus, Illustrissimo nostro Patrono, non omnes hodie lauros deferamus. Ingratæ, sed inprimis vos tres germanæ sorores; si die hodiernâ Illustrissimo Literarum & Literatorum Mecænati, tantam non congratulemur diei Natalis solennem festiuitatem, & festiuam solennitatem. Redimere igitur silentium non possumus, ne ingrati, & impij ergà Patronum videamur. Hodie qui lætari non potest impius esto: qui vnico ZAMOSCIORVM Phœnici non congratulatur sacrilegus esto. Gaudeamus ergo & lætemur, ob ingentem veri gaudij & lætitiæ accessionem, tanto lubentiùs, quanto meliùs sanitatis robur, Illustrissimi Patroni nostri & scimus & optamus esse incolume. O vtinam quantocius genæ nostræ sint gelasini Democriti, & corda animique nostri conuertantur in gaudiorum materiem, vel ipsa gaudia essent animi nostri. Cor anceps & dubium loquitur, aures cordis anteambulæ testantur, oculi vicari, sed increduli, veram lætitiam cordi denegant: Attamen os loquitur, quia Patronum desiderat. Deum Opt. Max. pro illo exorat. Ita necessum est, vt os aliquando ex plenitudine gaudij loquatur. Cor custos omnium rerum lætitiâ scateat, & illâ, quæ non nisi ab oculis. Multum enim aures conducunt ad lætitiam, sed ad veram plurimum oculi; hæ præteritorum, illi præsentium, spes dubia futurorum. Sed tu miserator DEVS, benigne DEVS, faue amplissimo Patrono nostro, illi dico Magnorum ZAMOSCIORVM inclytæ Propagini, quæ veluti arbor excelsa est: cuius rami Roxolanas nostras Athenas tegunt, & protegunt, sectatores cul-

res cultioris literaturæ ab æstu inuidorum eripiunt; vt quibus noctes Atticæ molestæ sunt diuturnitate absentiæ, luce beneficæ præsentiæ eius temperatæ, recreentur. Ille enim noster Patronus est, qui non solum sibi natus est, sed partim Patria sibi illum vendicat, hæc Academia, amici, partim clientes, & Literarum Alumni. Ille enim est, cui amorem Respub. & serò veniens posteritas denegare nec potest, nec debet. Nam multo tardiùs ZAMOSCIOS virtutis fama deseret, quam Scipiones, Marcellos, Camillos, Fabricios, Cæsares, Calatinos, & alios sexcentos horum persimiles. Lateant nunc illi & sileant: vt fama venturis sæculis, ZAMOSCIORVM pietatem in Deum, amorem in Patriam, munificentiam in literas, loquatur testatissimam. Sed nos miseros, qui suadæ medullæ lacte, non nutriti inter olera, ac si anseres obstrepimus: sed venient posteri, qui sine æmulationis prurigine Magnorum ZAMOSCIORVM Lumina & Numina, illustriori calamo orbi propalabunt vniuerso. Quocirca si Polonia nostro pro Patrono, tanta ad DEVM feruentia miserit vota, quæ terras globique huius sublunaris angustias penè egressa, cælo vix capi posse viderentur. Decet profectò & nos, vt memoriam qualem qualem tot acceptorum ab Amplissimâ Domo beneficiorum, nunquam intermorituram testemur, & singularem munificentiam extollamus: præsertim hocce die Honori & Nomini D. IOANNIS BAPTISTÆ Patroni tutelaris, Amplissimi Benefactoris consecrato: Et debitum quidem officium prope iure suo cupitam & vendicatam à nobis efflagitare videtur gratulationem. Cum nihil nobis optabilius, quàm vt citissime Patroni conspectu: & diu votis expetito aspectu fruamur. Vos ergo sorores, si tantum sorores, & non fratres, ad DEVM Opt. Max. ad Tutelarem Benefactoris nostri Patronum D. IOANNEM BAPTISTAM, vota ex animo persoluite. Stultam antiquitatem, quæ Gratias fæminas finxit an pinxit. Nam si viri essent, in solo ZAMOSCIORVM Gentilitio profectò hi tres essent; quorum scilicet sonus in omnem retro futuram posteritatem durabit, perennabit, æternabit; Et hanc gloriæ Illustrissimi Mecænatis famam, quidquid hodie est eruditorum, ad castæ Mineruæ Nepotes mecum deferent vniuersi.

Casimirus Prusinowski, Succam. Belzeñ. Filius.

τρεῖς χάριτες

De diutinâ absentiâ Amplissimi Mecænatis sui mirum in modum solicitæ, vario Idiomate, pro incolumitate eius vota expediunt.

AGLAIA.

SI tuus iste merus Respublica Lechica mæror
Non minor est, qui me torquet agitq; dolor.
Illa ego lætitiam præ cunctis corpore gestans
Cogor nunc tristis spargere rore genas.

Postquam præsidium Musarum dulce recessit,
Inter & orbatas squalida oberro Scholas.
Huc illucq́ erramus mæstæ mente sorores,
Inficimus roseas & madido imbre genas.
O dolor? ô studijs nimium sors inuida nostris?
Serues dimidium, nostræ animæ incolume:
Cunctarum vox est, ad nos Patrone reuertas
Fax studij nostri, vita, decusque meum,
Ipse Pater viridis Parnassi magnus Apollo
Pro verbis tantum dat pia vota DEO.
Viuat Mecænas Atauis, cuncto inclytus Orbi
Et quibus in cælis, est suus estq́ locus.
Maiorum extollant virtutes sydera cæli
Per terras nobis, Tē ferat ipse DEVS.
Tamq́ diu viuas, dum mustis vua tumebit,
Ocyus atq́ ad nos, incolumis redeas.
Viue Patrone Tuis, dum carmina culta Maronis
Discentur numeri Naso Pöeta tui.
Viue Patrone Stoæ, pisces dum fonte natabunt,
Ocyus atq́ ad nos, incolumis redeas
Viue Patrone DEO Tenedos, dum stabit & Ida,
Dumq́ tuo stabunt, clara Lycæa solo.
Viue Patrone Scholis, Patriæq́, Tuisq́, DEOq́
Longos Cumæos, viue Patrone dies.
Cresce, vige in titulos magnorum assurgeq́ Auorum
Magnus & in Patria, tutior esse potes.

Christophorus Bielecki, Vice-Capitań. Kremeceń. Filius.

EVPHROSINE.

NIe ták ćiesſkie Káydány z kuźnice Wulkaná
Ktoremi Andromedá byłá przykowána
Do ſkały: ábo Klámki ktore Tycioná,
Dźierżą ná pokarm Sępom, z Dekretu Plutoná
Nieznośnieyſze ſą pętá, ktore w niebytnośći
Wielmożnego Pátroná, ponośiem w teſknośći
Sercá náſze okowem, żelázá twárdego,
Przykowáne do ſkały, teſknienia náſzego.
Przez ten bowiem czás ſmutny od żalu topnieią
Myśli náſze, y ſercá w żáłośći ſtękáią:
Swietne gory Párnaſkie, o náſzey żáłośći
Daycie ſwoie świádectwo, y niſkiey ſkłonnośći,

Przed

Przed Boſkim thronem, gdźie náße iágody
Nie raz ziemię ſkropiły, ſerdecznych łez wody.
Ogłußone mießkánia w ktorych my ſwoiemi
Co dźień wołamy Boże, náßemi prośbámi
By Pátroná náßego, w dobrym zdrowiu chował
A nas trzech Sioſtr młodośći, ſmutkiem nie fráſował.
Bo lubo wiádomośćią, że zdrowia dobrego
Zmyſły wzáiem y śiły, ćießemy ſię z tego.
Iednák oko niewierne, wierzyć niechce temu
Záczym ſmutnym bydź każe, y ſercu náßemu.
Práwo bowiem oká ieſt, z ſercem weſpoł chodźić
A ſercá tá powinność, z ſłonych łez wywodźić.
Serce ßczyrość oświadcza, świádek wßech ſkrytośći
Nád to śluby záwießa, dla lepßey pewnośći.
Oddáiem y my wdźięczność, gdy to uznawamy
Dobrodźieyſtwo Pátronow, z tym ſię oświadczamy.
Wam zá to cześć niech będzie wielowładne Párki
Ktore ieſteśćie zdrowia, rozdátne ßáfárki
Snuyćie żydło w wiek długi, Pátroná náßego
Popußczáiąc przędźianá, według zdánia ſwego.
Niech náß żyie Mecænás ná potomne czáſy
Poki będą ſtáć w pußczy gáłęziſte láſy
Poki będźie żyrował źwierz w źielonym leśie
Abo poki dźień iáſny, zdránie pońieśie.
Iák wiele morſkie brzegi, piaſku w ſobie máią
Y z rybámi co w ſtáwách, Zamoyſkich pływáią.
Ták wiele dni ßczęśliwych, ßczęśćia łáſkáwego
Vproś IANIE KRZĆIĆIELV, *dla dobrá náßego.*
Nam nielzá tylko teſkność, ſłowámi pokrywßy
Słonemi łzámi kármiąc, oczy odwroćiwßy.
We dwoiákie krynice prętko ſchnącey wody
Iák Sioſtry przyrodzone, brátniey płácza ßkody.
Ták y my długo będźiem, topić ſię w żáłośći
Poki ſwego nie uyźrzem, Pátroná w cáłośći.
A teraz śiadßy z śioſtry, Párnáſu gornego
Będźiem z gory wyglądáć Dobrodźieiá ſwego.

Nicolaus Abrek, Studioſus Pöeſeos.

THALIA

παντὰ καλῶς εστ' οταν εἰς προσυλῇ Ζαμούσκι
σωος οταν παρεὶς, νῦν τοτε παντα καλῶς
χαιρε οπλων πατριδος, σὺ παπποῦ στεμμα Ιοαννοῦ
ὑπὲρ ακαδημικ' εχεὶ φηματα, χαιρε πατερ.

Ioannes Druzbic.

NVNTIVS LAVREATVS
ACADEMIÆ.

ILLVSTRIS
Magnorum ZAMOSCIORVM & OSTROGIORVM ſanguis
Quo Regina Libertatis Polonia recreatur,
In vnico Phænice IOANNE ZAMOSCIO hodie Poloniæ illuxit.
GAVDE
Cum Patronum incolumem ſuſpexiſti
ACADEMIA.
Lætiorem ſi quando habuiſti meridiem in Orbe Polono,
Quam cum benefica lux Patriæ,
Cuius continuo deſiderio diſtinebaris,
Feliciter ab exteris, ad Lares Patrios regreditur.
Quantùm Lucis, Orbi Sol impertit,
Lætitiæ tantum Literarum & Literatorum Patronus
PATRIÆ
ET
ACADEMIÆ.
Nemo nouit quantum in illos dominium tyrannis habeat,
Qui de abſentiâ Patroni ſui continuo ſolicitantur.
Modici deſiderij momentum,
MONVMENTVM EST.
STA HÎC RVDIS CALAME.
ET
Solicitam exhilara mentem lætitia·
Cum Patronus adeſt munificentiſſimus,
Præſentaneum illius animum
VENERARE.
Maximo cælorum beneficio redditum,
Minus ergò terræ, quàm ſyderibus debes
ACADEMIA.
Pars magna ſolatij, ingens ad lætitiam gradus,
Patroni deſideratiſſimo aſpectu frui,
Maximum; quia publicum bonum eſt.
Abſint interpretes,
Academia loquatur
Vt Orbis intelligat.
Munificentiſſimæ Domûs ZAMOSCIANÆ
Tàm in BELLONÆ caſtra, quàm in MINERVÆ clauſtra.
BENEFICENTIAM.

Georgius Zelinſki, Pocillat. Bracłauień. Filius.